



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesv Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Primus fructus, Amor Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)

pscos in medio ciuitatis noua, nouos in singulos menses fructus producit.

Primus fructus. Amor Dei.

Primus ergo fructus ille est qui est fons cæterorum, nimirum Dei amor, Sic enim ait Sapientia, Ego diligentes me diligo. Et Christus ipse Apostolis dicebat. ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis. O quam excellens & suavis fructus est amari à DEO! sed qualis est ille amor? si quis, inquit diligit me, diligitur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, nimirum non leuis, non inconstans, sed permanens amor, quo etiã fiat, vt

Prou. 8.

Ioan. 16

Ibid. 14.

Pater ipse, & Filius, & Spiritus Sancti mansionem in nobis faciant, & quasi in proprio domicilio inhabitent. Huius tantæ dignationis rationem aliquam, indicat ipse Christus Dominus. Ut dilectio tua, inquit, qua me dilexisti in illis sit, & ego in eis, nimirum qui verè Christum diligit, in Christo manet, eiq; coniungitur, & Christus ipse in eo, adeo ut Christum ipsum Deo Patri representet in eiusque vicem, tanquam Dei Filius, eadem dilectione sit prosequendus, qua Pater CHRISTVM diligit. Fons ergo ille amoris qui ex corde Patris, in Christum filium effusus est propter Chri-

Ibid., 17.

stum

stum, in eius amatores redun-
dat cum ingenti copia bono-
rum.

Quid mirum est ô bone Ie-
su, quod amari me dicas à Pa-
tre, si te amem, si quia te amo
in me es, qui non potes à Pa-
tre non vehementer amari?
huius ergo amoris mensuram
longitudinem, latitudinem,
sublimitatem, & profundum
metire, ô homo si potes. Nam
sicut diligit Pater Filium, &
omnia dedit ei in manu; ita
cum donavit filium, nonne
omnia cum eo nobis donavit
vt nos in illo tota amoris pro-
fusione prosequatur? Si igitur
amari à Patre desideras, si de

Rom. 8

æterna eius dilectione, & electione tua certus aliquo modo fieri optas, lætetur cor tuum; si enim Iesum, si quæ ad Iesum pertinent, & ei charæ sunt, matrem eius imprimi B. Virginem amas, quid dubitas quin à Patre ameris cum ipse dixerit. Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis. Hoc enim est testimonium, quod mentibus nostris has æternæ felicitatis promissiones Deus obsignat, & spem nostram confirmat. Qui enim credit in fide nempe viua, quod Iesus est Filius Dei, habet Dei testimonium in se: adeo ut securè dicat cum Apostolo, Certus sum quia neque mors, ne

que vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate DEI quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

Secundus fructus. Diuine legis obseruatio.

Lex noua, lex quidem est, atque adeo præceptorum onus imponit, sed est lex amoris Christi, qui vt efficacissim⁹ est exactor totius legis; ita etiam est suauissimus: Discite inquit à me, quia mitis sum & humilis corde, & tollite

Matt. II.